

De Provincijs Regni Sinensis, ejusque Nobilitate.

SINENSE IMPERIVM.

Lim à Xuno Imperatore in duodecim, nunc in quindecim ingentes provincias divisum est. Sex ex ijs mari adjacent, Peking, Xantung, Kiangnan, seu Nanking, Chekiang, Fokien, Quantung. Ad Boream occurrunt, Quangsi, Kiangsi, Huquang, Honan, Xansi. Ad occidentem vergunt. Xensi, Suchuen, Queicheu, Yunuan. Habet præterea Leäotung regionem ad occasum provinciæ Peking, ubi magni muri istius principium. Numerat etiam non paucas Insulas vicinas, quæ tributum Regi Sinarum pendunt, inter quas est Hainan, Lienkieu, seu Insula formosa. Item Cheuxan, aliæq; plures quæ ita inter se conjunctæ sunt, ut una potius quam plures Insulæ esse videantur.

Regnum hoc Sinense Orbis compendium, aut annuli, hoc est Orbis gemmam recte dixeris, in qua scilicet plus pretij, rerumq; reperitur, es, quam in reliquo, ut ita dicam orbe toto. In Australi plaga, majores fervent æstus, ubi omnes Indiæ fructus læti conveniunt, uberesq;: Palmarum nuces, Musæ, Mangas, Ananas, alijq;. In Boreali vero parte uvæ fert, Ficus, Castaneas, nuces alias omnis generis, poma Persica, Cotonea, Pyra varij generis.

Vbiq; cælo, solo, uberrimis pascuis saloq; in locis maritimis, & fluminibus læta est regio. In ea Naturam, artemq; beneficia & liberali credas concurrisse manu, ut nescias fertilitas, an pulchritudo, utra plus alteri debeat. Illud omnino fatendum, quidquid alibi reperitur per partes, hic reperiri simul omnia, ut multo verius de hoc regno dici possit, quam de Romana Regione illud Propertij.

Omnia Sinensi cedant miracula terræ,
Natura Heic posuit, quidquid ubiq; fuit.

e

Ad